



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

De impedimento conditionis seruilis. Pun. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Predictam doctrinam dupliciter temperant Doctores, Primo ne procedat in eo qui expressam voluntatem habet non contrahendi, nisi qualitate existente. Nam tunc nullum erit matrimonium deficiente ea qualitate, non ex errore qualitatis, sed ex defectu substantialis consensus, qui sub conditione appositus est, vt recte Sanch. *disp. 18. num. 2.* Gutierr. *cap. 9. num. 6.* Layman. *tract. 10. part. 4. cap. 2. num. 2.* Coninch. *disp. 31. dub. 1. a num. 12.* & alii. Secundo temperant predicti Doctores, ne procedat, si error qualitatis infert errorem personae. Quod contingit, quando qualitatam narratio eò tendit, vt persona aliàs ignota cognoscatur, qualitaetque narratae non communes sunt, sed singulares indiuiduationem personae denotantes. V. g. si te fingeres filium Petri primogenitum, cum tamen non sis, quia ea non est qualitas communis, sed singularis personam indicans; eaque de causa error in ea qualitate non est error qualitatis tantum, sed error personae. Secus est si te diuitem, vel nobilem fingeres; quia sunt qualitates communes non personae indiuiduationem indicantes, vt latius explicat Sanch. *d. disp. 18. a num. 25.* Coninch. *d. dub. 1. a n. 14.*

PUNCTUM V.

De impedimento conditionis seruilis.

§. I.

Qualiter conditio seruilis matrimonium impedit.

- 1 Si liber cum ancilla contrahat ignarus seruitutis, est nullum matrimonium, & quare.
- 2 Hac irritatio ex iure gentium prouenit secundum probabilem sententiam.
- 3 Verius est solo iure Ecclesiastico matrimonium impedire.
- 4 Quod verum est, etsi ancilla breui tempore esset libertatem consequutura, esto contra sentiat Sanch.
- 5 Valet matrimonium, si libertas concessa est pro aliquo determinato tempore.
- 6 Liber coniux propria auctoritate, detecta seruitute recedere potest, si scandalum ab sit.
- 7 Onus probandi seruillem conditionem aliqui consent libero incumbere. Verius est hanc obligationem ancilla inferre.
- 8 Si liber conscius est seruitutis, nulla est matrimonij irritatio.
- 9 Error seruitutis vera, & propria, non autem adscriptitia, & originaria irritat matrimonium.

Erratum est, si liber cum ancilla contrahat, vel libera cum seruo ignotans conditionem seruillem, matrimonium irritum reddi ex Textu expresso in *cap. 2. §. 7. de coniugio seruorum. Cap. si quis ingentus. 29. quest. 2. Et leg. regia 11. tit. 1. par. 4.* Ratio huius prohibitionis, & irritationis duplex est. Primam tradit D. Thom. communiter receptis in *4. disp. 36. quest. vnica, art. 1.* quia expedit aequalitatem seruiti in matrimonij contractu, nisi ipsi contrahentes inaequalitatem cedant. At liber cum ancilla contrahens, vel libera cum seruo ignorans seruitutem, nequit esse in contractu aequalitas, siquidem liber plenam, & liberam sui corporis potestatem concedit seruo, quam tamen seruus libero non concedit; siquidem ratione seruitutis impeditur, ne facte debitum coniugi volenti reddat, ne eius obsequiis assistat, ne prolis educationi incumbat; eo quod in domo Domini cogitur assistere, ibique occupatur, in terras remotas mittitur, imò venditur. Secunda ratio huius prohibitionis sumitur ex predicta ratione. Cum enim hic error sit ita grauis, & enormis etiam si qualitatis sit, æquum fuit, vt Ecclesia matrimonium ex predicto errore irritaret, tametsi ex errore aliarum qualitatam validum relinqueret.

Dubitatur autem Doctores, An hac irritatio ex iure naturali proueniat, an tantum ex iure Ecclesiastico; Satis probabile est errorem conditionis seruilis matrimonium saltem iure gentium irritare, eo quod sit error in statu bonis matrimonij maxime repugnante; quippe aduersatur mutuae cohabitationi, cum debeat seruus in domo domini habitare, & possit in partes remotas mitteri. Contradicit bono fidei, cum non possit pro libito reddere debitum, sed cum vacauerit, dominique obsequiis satisfecerit. Præterea obstat bono prolis, siquidem eam alere nequit, cum omnia Domino acquirat, neque Christianè educare, cum non sit in eius potestate. Quæ omnia non æquè militant in errore aliarum qualitatam. Nam esto leprosus, morbo contagioso infectus, relegatus, banaitus nequeant liberè vsui matrimonij, eiusque obsequiis vacare: at id per accidens contingit: in seruo autem per se, vt ipse qui statum habet predictis bonis repugnante. Ergo minus non

est, quod error aliarum qualitatam non reddat matrimonium irritum, error verò conditionis seruilis ex se illud irritum reddat. Sic docent Syluest. *verbo matrimonium 6. q. 1.* Angles *in flor. 4. sent. v. p. super disp. 36. q. de errore seruilis conditionis, art. 1. dub. 1.* inclinat Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 2. n. 3. vers. Porro.*

Sed longè probabilius est solo iure Ecclesiastico conditionem seruillem ignoratam à libero impedimentum esse dirimens matrimonij contrahendi, vt pluribus relatis firmat Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 19. num. 16.* Gutierr. *cap. 90. num. 1.* Coninch. *disp. 31. dub. 2. conclus. 1.* & alij communiter. Ratio est, quia si ex iure naturali irritum matrimonium esset, ea irritatio debebat prouenire, eo quod seruus bonis matrimonij obstitat, vel ex deceptione, & iniurià libero coniugi facta. Ex priori capite irritatio esse non potest, aliàs siue ignota seruitus, siue cognita esset, redderet matrimonium irritum, neque inter seruos subsistere matrimonium posset, quod nullatenus dicendum. Ex deceptione autem, & iniuria libero est coniugi facta non irritatur iure naturæ matrimonium, sed solum Ecclesiastico; quia illa deceptio non est facta in substantia contractus, sed in illius qualitate: substantia namque contractus consistit in mutua corporum traditione ad vsum coniugalem: hæc enim in contractu serui cum libero reperitur, & licet traditio serui non sit ita plena, & expedita, sicut traditio liberi, non obinde essentia matrimonij destruitur, etenim matrimonij essentia solum requirit, vt coniux alteri coniugi obligetur debitum reddere, quoties legitime impeditus non fuerit. Fundamentum verò *num. præcedenti* adductum solum probat conuenientius fuisse, vt ex errore seruitutis matrimonium ab Ecclesia irritaretur, quam ex errore aliarum qualitatam, non tamen probat iure naturæ, vel gentium irritari. Quippe esse qualitatem impediendam matrimonij bona per modum status, vel ex accidenti non potest ex se diuersum impedimentum constituitur, cum sit solum accidentalis differentia intra terminos erroris qualitatis contenta.

Temperat Thom. Sanch. *lib. 7. disput. 19. num. 4.* cui consentit Coninch. *disp. 31. dub. 1. num. 26.* predictam doctrinam, ne procedat in contractu liberi cum ancilla, cui libertas intra breue tempus, scilicet sex menses promissa à Domino sit: eo quod videantur cessare rationes, ob quas Ecclesia matrimonium liberi cum ancilla irritum reddidit, & moraliter loquendo reputari debet matrimonium cum libera contractum; siquidem libertatem ita breui tempore consecutura est. Quod enim parum distat, nihil distare videtur. Sed contrarium probabilius censuit Gutierr. *cap. 90. num. 6.* Et Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 43. num. 1.* eo quod Textus absolute irritauerint matrimonium liberi cum ancilla ignoratæ seruitute, ob deceptionem, quam liber patitur, & inuoluntarium quod in tali contractu habere præsumitur, quæ rationes in predicto casu procedunt; siquidem absolute est contractus liberi cum ancilla seruitute ignoratæ, ideòque liber est deceptus, & præsumi iure potest inuoluntarius esse.

Illud verò eorum esse debet, si contrahas cum ea, cui libertas concessa est pro aliquo determinato tempore postquam esse matrimonium, vt recte docuit Thom. Sanch. *lib. 7. disp. 19. num. 3.* Gutierr. *cap. 90. num. 3.* aduersus Sotum, Ledesin. Vegam, & alios, quia absolute cum libera contrahis. Præterquam quod libertas pro quocunque tempore concessa perpetua est. *leg. libertas 31. alias 32. iuncta leg. illo statim sequenti, ff. de manum. testamento.* Ex quo à fortiori constat valere matrimonium, si cum libera contractum sit, quia non seruitus præterita, sed præsens impedit matrimonij valorem, vt ex communi tradit Covarrun. *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 1.* Thom. Sanch. *lib. 7. disput. 9. num. 10.* Gutierr. *cap. 90. num. 19.*

Ad eò certum est matrimonium liberi cum ancilla ignoratæ seruitute nullum esse, vel liber coniux detecta propria auctoritate recedere possit, si scandalum ab sit; quia cum matrimonium nullam vim habeat, nullo vinculo potest à recessu impediri. Regulariter autem, si matrimonium publicè contractum sit, de eoque constet, scandalum erit, si absque iudicio Ecclesie separatio fiat, vt aliis relatis docuit Sanch. *lib. 7. disputat. 19. numero 7.* Gutierr. *cap. 90. numero 11.* Basilus *lib. 7. cap. 43. in fine.* Quinimò non solum liber, sed seruus recedere potest etiam renuente libero; quatenus ex parte serui, quàm liberi contractus nullus fuit, nisi forte ex tali contractu, & deceptione facta damnum aliquod libero illatum sit, cui seruus satisfacere nequeat alter quàm matrimonium ratificando.

Sed cui incumbat onus probandi conditionem seruillem cognitam esse, vel ignoratam, vt matrimonium inter seruum, & liberum validum, vel irritum declaretur; non conueniunt Doctores. Nam Henric. *lib. 11. de matr. cap. 10. numero 5.* credit liberum obligatum esse probare ignorantiam conditionis seruilis, aliàs præsumendum esse scienter contraxisse. Mouetur ex Textu in *cap. fin. de coniugio seruorum*, ibi. *Mandamus quatenus si consiterit quoddam miles ignoranter contraxit cum ancilla.* Ergo ipsi militi competit ignorantiam probare, siquidem

dem quousque constat de eius ignorantia tuetur ancilla in possessione matrimonij. Adde alleganti ignorantiam pro fundamento suae intentionis incumbit onus eam probandi, vt pluribus comprobatur Mascard. *de probat. volum. 2. concl. 279. num. 39.*

8 Nihilominus contraria sententia affirmans hanc obligationem probationis competere ancillae cum libero contrahenti longe verior est, prout docuit Holtienf. *in d. cap. fin. verbo constituit. Et ibi Ioann. Andr. num. 5. Abbas num. 6. Cardinal. in princ. in 1. opposit. Anton. de Batris num. 6. Alexand. de Neuo, num. 5. Et Praeposit. quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disput. 19. num. 8. Gutier. cap. 90. num. 14.* Etenim cum iure ipso irritum sit matrimonium liberi cum ancilla ob inaequalitatem contrahentium, hanc inaequalitatem allegans, habet suam intentionem de nullitate matrimonij in ipsa lege fundatam, a qua remoueri nequit, nisi probetur liberè, & cum scientia illius inaequalitatis contraxisse. Ergo non ipsi, sed ancillae valorem matrimonij procuranti competit onus probandi. Praeterea scientia alieni facti nunquam praesumitur, sed potius ignorantia, *Reg. praesumitur ignorantia, de Regul. iuris in 6. & leg. verius, ff. de probationib.* Et pluribus exornat Mascard. *concl. 1214. num. 50.* Cum igitur praesumptio ignorantiae conditionis seruili sit pro libero ancillae competet scientiae probatio, nisi forte tempore contractus esset eo in loco coniugis seruitus communiter nota. Nam eo casu praesumitur liber scientiam seruitutis habuisse, quia semper quis est praesumendus scientiam habere illorum, quae communiter nota sunt, vt decidit Textus in *cap. 1. de postulat. praeator. Cap. quod dicitur, dist. 16.* Et notauit Gutier. *dicto cap. 90. num. 17.* Neque his obstat Textus in *cap. fin. de coniugio seruorum.* Nam ibi solum dicitur dissoluedum esse coniugium, si constitit militem ignoranter contraxisse. Ex eo autem quod ancilla scientiam suae conditionis non probauerit, censendum est constare. Neque semper alleganti ignorantiam incumbit onus probandi, sed solum quando haec ignorantia non praesumitur, vt ex ipso Mascardo colligitur.

9 Sapius in hoc §. repetitur, ignorata seruitute. Nam si matrimonium a libero cum ancilla contrahatur conscio conditionis seruili, matrimonium vtiq; subsistit, quia haec irritatio ob deceptionem libero factam, & inuoluntarium consensum praesumptum inducta est, vt definitur in *cap. 2. de coniugio seruorum. Et cap. si quis liber. 29. quast. 2. Et cap. si quis ingenuus, eadem causa, & q. Et leg. regia, tit. 2. Et leg. 1. tit. 5. part. 4.* Et tradit alios referens Sanch. *lib. 7. disput. 19. num. 13. Gutier. cap. 90. num. 23.* vbi aduertunt praedictis iuribus derogatum esse, *leg. cum ancillis, Cod. de incestu nuptiar. decedente inuoluntario esse matrimonium inter seruum, & liberum;* quia id solum intelligendum est ignorata seruitute, secus illa detestata. Quinimo nullum peccatum videtur liber committere ex eo quod ancillam ducat in uxorem, quia nullibi prohibetur, tamen si irregularis censetur, *Argum. Textus in cap. si quis viduam dist. 34. ibi: Si quis viduam, aut eiecitam receperit, aut meretricem, aut ancillam, non potest esse Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui ministerio sacro deseruiunt, eo quod vilis, aut infamis reputatur, sicut docet Sanch. dicta disputat. 19. numero 14. Gutier. dict. cap. 90. numero 24. & 25.*

10 Ad extremum aduerte errorem seruitutis verae, & propriae matrimonij impedimentum esse, non autem impropriae, qualis est adscriptoria, & originaria. Quippe sunt aliqui qui vocantur serui adscriptitij, quia in perpetuum adscripti sunt glebae, seu agro colendo in commodum dominotum nihil ex cultura sibi deducentes, praeter necessaria ad vitae sustentationem, quorum filij originarij serui appellantur. Cum his ergo si contrahas ignorata eorum seruitute matrimonium tenet, quia hi etsi cum seruis similitudinem habeant, verè serui non sunt, sed liberi ideoque à legitimis actibus non repelluntur, vt tradunt communiter Doctores in *cap. 2. de coniugio seruorum, teste Sanch. lib. 7. disput. 19. Gutier. c. 90. n. 10. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 10. p. 4. c. 2. in fine. Coninch. disp. 31. dub. 2. initio.*

§. II.

Qualiter serui inuitis Dominis matrimonium contrahere possint?

- 1 Conueniens fuit hac matrimonia seruorum non irritare.
- 2 Peccat mortaliter Dominus matrimonia seruorum impedire.
- 3 Potest Dominus non obstante quod seruus de matrimonio contrahendo tractauerit, eum in partes remotas vendere, nisi forte ex licentia Domini sponsalia contraxerit.
- 4 Satisfit obediens.
- 5 Matrimonio contracto aequè Dominus occupare seruum potest.

- ac si coniugatus non esset.
- 6 Aliqui consent in partes remotas vendi posse.
- 7 Verius est peccare Dominum, si absque argenti causa eam faciat venditionem.
- 8 Vir remente uxore nequit se in seruum vendere.

ET si Ecclesia potuerit irritare matrimonia seruorum absque domino consensu celebrata, sicuti potuit irritare eorum in religione professionem, *cap. qui vero, 16. quast. 1. De facto tamen nunquam credimus irritalle, vt colligitur ex cap. omnibus, 29. quast. 2. & cap. 1. de coniugio seruorum.* Etenim cum matrimonium sit à natura concessum, tum ad propagationem generis humani, tum in remedium concupiscentiae, conueniens maximè fuit, ne vlli hominum statui interdiceretur, maximè cum matrimonium impedimento non sit, quin seruus suas operas in Domini utilitatem impendat.

Ex quo fit peccare mortaliter dominum, & ab Ecclesia censendum qui seruum suum à matrimonio contrahendo impediret, vel ob eam causam durè tractaret, quia offendit seruum in iis quae illi natura concessit, vt ex omnium sententia tradit Sanch. *lib. 7. disp. 21. à num. 5. Gutier. c. 92. à n. 1. Bassil. Pontec. lib. 7. c. 42. n. 3. Coninch. disp. 31. dub. 2. conc. 3. & alii communiter.*

Difficultas autem est, An possit Dominus sciens seruum, tractare de matrimonio inuendo vendere in partes remotas quo matrimonio impediatur, & se iudemum seruet? Et quidem si sponsalia seruus nondum contraxit, certum esse debet posse à domino vendi, quia tunc vitur iure suo, & licet inde matrimonium impediatur, id per accidens est, nec domino imputandum, vt rectè Sanch. *lib. 7. disp. 21. num. 9. Gutier. cap. 91. num. 6. Coninch. disp. 31. dub. 2. num. 32.* At si sponsalia contracta sunt, censet Sanch. & Gutier. non posse seruum à domino vendi in eas partes, vbi coniux cum sequi commodè non possit, quia laederet onus coniugij acquirum, sed hoc verum esse credo, quando ex voluntate domini, cuiusque licentia sponsalia contracta essent, quia eo casu censendum est Dominus tacitè promississe matrimonium non impediri, quantum commodè possit, ac proinde nisi graui necessitate premeretur, non possit seruum in eas partes remotas vendere. At si absque licentia domini sponsalia conuata sunt, verius censetur absque vilo peccato posse dominum vendere seruum in remotas partes, tamen inde matrimonium impedendum sit, tum in penam quod eo inconstitudo sponsalia contraxerit, tum quia suo iure vitur, cui sponsalia derogare non potuerunt. Sponsa namque ius non acquisiuit ad matrimonium seruili, nisi quatenus seruus se illi tradere poterat. At seruus nequit se illi tradere iura sui domini diminuat. *Argum. cap. 1. de coniugio seruorum. Et tradit expresse Nauar. cap. 22. num. 34. Coninch. disp. 31. dub. 2. n. 37.*

Neque his obstat, quod Iudex Ecclesiasticus interpellatus à seruo possit impedire venditionem praedictam, si absque argenti domini necessitate fiat. Tum quia ad hunc effectum iustificat quod sit probabile non posse dominum sic seruum vendere, & sit opinio matrimonio fauens. Tum quia praesumere Iudex Ecclesiasticus potest iniquo animo eam fieri venditionem solum ob matrimonium impediendum, si aequè commodè eo in loco vendi seruum potest. Tum denique quia regulariter ex charitate obligatur dominus, ne matrimonium seruo maximè commodum indirectè impediatur, cum sua non interest.

Matrimonio autem contracto siue ex voluntate domini siue eo non consentiente, aequè dominus potest occupare seruum, ac si coniugatus non esset, vt expresse definitur in *cap. de coniugio seruorum, ibi: Debita tamen & consueti seruitus non minus (quam antea) debent propriis dominis exhibere, & tradunt expresse Nauar. cap. 22. num. 34. Saa, verbo Matrimonium, §. impedimenta dirimentia, num. 11. Henric. lib. 11. cap. 10. num. 4. Coninch. disp. 31. dub. 2. n. 35.* Ratio est, quia ex matrimonio solum seruus se coniugi obligauit ad coniugalem vsum, quatenus possit absque praedictio domini cuius est aliàs matrimonium cederet in graue domini praedictum. Ex quo fit posse dominum seruum mittere in partes longinquas causa alicuius negotij quod sua interest expediendi. Si enim potest liber homo lucri captandi causa diu ab uxore abesse, tamen si eius continentia periclitetur, cur non poterit seruus ob utilitatem domini, cui astrictus est abesse ab uxore potest vtiq; seclusa tamen utilitate graui, seu necessitate nequit dominus diu impedire seruum, ne vxoit accedat; quia saltem id est contra charitatem, imò contra iustitiam, cum moderatum coniugij vsum permittere debeat.

An verò possit in partes remotas vendi, vbi eum commodè coniux sequi non potest, variant Doctores. Nam Coninch. *disp. 31. dub. 2. num. 37. conclus. 5.* credit posse absque inultu vendi, eo quod per matrimonium ius domini non diminuitur, vt ex *num. praecedenti* constat, peccare tamen contra charitatem, si absque rationabili causa in eas partes remotas vendatur, siqu

siquidem lex charitatis quemlibet obligat sui proximi damnum vitare, cum commode possit. At graue damnus seruus coniugatus parit in ea venditione siquidem vsu matrimonij perpetuo priuatur.

Ceterum Glossa in cap. 1. de coniugio seruorum, verbo scilicet Innocent. ibi num. unico. Sy. uel. verbo seruus quest. 7. Petr. de Ledem. quest. 52. art. 2. dubi. 1. post solut. ad 5. Sanch. lib. 7. disp. 22. à num. 8. & segg. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 42. à num. 5. & alij probabilius existimant non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam peccare dominum, si absque vrgenti causa, qualis esset vitare proprium damnus graue, seruum in remotas partes venderet, ubi commode coniux alter sequi eum non posset, siquidem hac via matrimonij vsu directè impediret, quod concedendum non est, aliàs potestas contrahendi matrimonium, quam seruus habet inutilis, & frustranea esset, si posset à domino illius vsus omnino impediri. Neque obstat aliquo modo ius domini in seruum ex matrimonio diminiui, quia id mirum non est, cum matrimonium iure naturali seruo concessum sit, & seruitus iure gentium introducta. Debet ergo hac naturali coniugij iuri cedere. Consulto dixi, nisi causa vrgens prædictæ venditionis adesset; etenim si seruus minaretur mortem domino, aut clam eius bona furripere, neq; alià vià huic malo commode succurrere dominus possit, nisi seruum in eas remotas partes vendendo, possit vtique, tamen si eius consensu matrimonium esset contractum; quia tunc ea venditio potius seruo quam domino imputanda est, cum seruus illius fuerit causa, dominus autem ius habet se defendendi, indempnè que seruandi, vbi docuit Palacios in 4. disp. 30. disp. 22. dub. 1. Sanch. d. disp. 22. n. 10.

Nanquam tamen existimo concedendum esse, quod sentit Sanch. lib. 7. disp. 23. num. 2. posse virum reuente vxore in seruum vendi. Nam esto ipse caput vxoris sit, & domus gubernationem habeat, non tamen habet sui corporis potestatem, sed mulier, ac proinde non potest ita se alteri tradere, vt hanc potestatem vxoris diminuat; diminueret vtique, si se seruituti addicere posset; siquidem ea stante nequit vxor pro libito eius corpore vt, sicuti antea, decimusque expressè lege regia fin. tit. 5. part. 4. ibi: [Si por ventura el marido se tomale seruo a labiendas por auer raçon de fe parit de su mujer, no debe valer, ni se departira el calamento, antes lo puede fa mujer demandar, y sacarlo aunde la serui dumbre si quisiere. Y esto es porque a detecho a el se por que naçe en de muy gran deshonra a ella, y a sus hijos si los hubiere.] Et tradit ibi Gregor. Lopez. Gutierr. cap. 91. in fine num. 18. & segg. Neque contrarium probat Textus in cap. perlatum est 29. quest. 2. ibi enim ingenui venditio neque approbatur, neque reprobat, sed solum definitur vxorem non esse redigendam in seruitutem. Præterea mirum non est, quod illa venditio valida fuerit, cum sit facta dissoluto matrimonio per diuortium, vt notauit Basil. Ponce, lib. 7. c. 44. in fine.

§. III.

Quibus in euentibus seruus matrimonium contrahendo libertatem consequatur?

- 1 Libertatem consequitur, si dominus in coniugem accipiat.
- 2 Secundo, si dominus seruum, vel ancillam in matrimonium collocet cum persona libera ignara seruitutis.
- 3 Ancilla libertatem obtinet, si eius dominus eam nuptui tradat dotale instrumentum conficiens, & an hac dispositio extendatur ad seruum?
- 4 Illis in euentibus, in quibus seruus liber a eum consequitur, valet matrimonium ex v. alde probabili sententia.
- 5 Verius est, maxime in Hispania inualidum esse.
- 6 Et satis fundamentu opposit.

Primo libertatem seruus consequitur, si Dominus in coniugem accipiat. Nam esto Couarru. in 4. decret. 2. part. cap. 3. n. 7. num. 1. Palacios in 4. disp. 30. disput. unica post molin. Molina lesuita disp. 39. §. sextus est. Henric. lib. 11. cap. 10. num. 4. Saa, verbo Matrimonium, vbi de impedimentis dirimendi num. 1. Sanch. lib. 7. disp. 20. num. 11. Gutierr. cap. 91. num. 13. censent solo iure regio Castellæ statuto in leg. 1. tit. 13. part. 4. & leg. 5. tit. 22. eadem part. 4. id verum esse non autem iure communi, cum nullibi habeatur, longè verius existimo cum Greg. Lopez ibi. Gab. Vazq. 3. part. disp. 81. cap. 8. num. 41. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 44. num. 3. Gaspar Hurtado, disp. 14. diff. 4. & aliis non solum iure regio Castellæ, sed iure ipso naturali hanc libertatem consequi iure etiam communi, cum nihil in oppositum decisis sit. Etenim eo ipso, quo Dominus ancillam suam in matrimonium ducit sociam sui efficit, illicque suam dignitatem communicat, ac tandem potestatem concedit, vt vna caro efficiatur, vbi notatum est Authenti. de consubi. §. si autem collat. 4. Et leg. mulieribus, Cod. de Dignitatibus. Et lege regia 9. tit. 2. part. 2. Ergo ex vi matrimonij destruitur seruitus, & ingenuitas communicatur, eaque

de causa lex regia 1. no. auter dixit. [Ca tan gran fuerça ha el matrimonio que luego que es fecho es la madre por ende libre y los hijos legitimos.] Matrimonio inquam concedit hanc efficaciam reddens seruum liberum, non autem vili legi. Neque his obest, quod Agar vocetur ancilla postquam illam duxerit Abrahamus, Gen. 16. 2. 1. Et ad Galat. 4. quia sic appellatur; eo quod ante matrimonium fuerit, & post matrimonium non fuerit ad domus gubernationem assumpta, sed in illius ministracione vt antea permanferit, tamen libertatem fuerit consecuta. Quod verò Aristotel. 1. Polit. cap. 1. referit apud plures nationes vxores ancillas appellari, solum indicat gentes istas barbaras esse, vel vxores tanquam ancillas ministrare, non quia reuè ancillæ essent.

Hinc rectè infert Basil. Ponce, lib. 7. cap. 44. numero 5. matrimonio eam vim & efficacitatem esse, vt quoties ingenuus seruus copularetur cum liberum redderet, nisi ius patrono prius quæstrum impediret, quo æquum non est eo reuente priuari; nisi forte in pœnam alicuius delicti commisi.

Secundò, si Dominus seruum, vel ancillam in matrimonium collocaret cum persona libera ignara seruitutis, neque eam detegeret, eo ipso seruus, vel ancilla libertatem consequeretur, nullâ iudicis sententiâ requisitâ, vt expressè habetur in Authenti. ad hac. Cod. de Latina libert. ibi: Qui suam ancillam credenti tradidit in matrimonium tanquam liberam, siue concessit dotale instrumentum, aut sciens eam duci tacuit ex studio dominum etiam amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur. Quæ desumpta est ex Authenti. de nuptiis §. si verò. vers. hoc autem decernimus, collat. 4. ibi: Non erit iustum tale non constare matrimonium, sed tacitam libertatem sequi siue virum, siue ancillam, cum tale à domino sit. Consentit lex regia 5. tit. 2. part. 4. ibi: [casando se seruo alguno con mujer libre sabiendo lo su seruo, e non lo contradiciendo fagele el seruo libro por ende, e que esto mismo seria si casase la serua con hombre libre:] subintelligitur quando liber ignarus fuit seruitutis, vt explicat lex regia 5. tit. 5. eadem part. 4. Et tradit Couarru. 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 1. Quamò ex eo solum, quod Dominus sciuerit matrimonium à seruo cum libero seruitutis ignaro contrahi, & seruitutem non manifestauerit seruus libertatem consequitur, vt videtur definitum in dicta Authenti. & in leg. regia 1. & 5. tit. 5. part. 4. & leg. 5. tit. 22. eadem part. Et licet spectato iure communi requiratur dolus ad hanc pœnam amissionis serui inducendam, vt constat ex illis verbis Authenti. tacuerit studio, & tradit ibi Glossa, & Bald. At spectato iure nostro regio, verius est dolum necessarium non esse, sed eo ipso quo sciuerit matrimonium contrahi, & tacuerit, seruus ad ingenuitatem rapitur, vt colligitur ex dictis legibus regis, & notauit Gutierr. cap. 91. de matrim. numero 8. Præterquam quod semper dolus in hac taciturnitate præsumi debet.

Tercio ancilla libertatem obtinet, si eius Dominus eam nuptui tradat dotale instrumentum conficiens, esto tradat homini libero scienti seruitutem vt colligitur ex leg. unica Cod. de Latina libertate. Nam esto ibi nihil de scientia seruitutis dicatur, subintelligendum est, vt aliquid speciale hæc lex statueret vltra hoc quod in Authenti. sequenti. Ad hac, est statutum, vt aduertit Abbas in cillud n. 11. de presumptionib. Mol. lesuita 1. tract. 2. disp. 39. §. septimus est. Sanch. lib. 7. disp. 20. num. 9. Gutierr. c. 91. num. 10. An autem hæc dispositio extendatur ad seruum, si eius patronus donationem propter nuptias, seu dotem constituat? Negat Sanch. eo quod in dicta lege unica solum ancillæ mentio facta sit. Quod si vellet ad seruum extendi id explicaret, sicuti fecit in Authenti. ad hac Cod. de Latina libert. Rectius tamen censuerunt Abbas, & Gutierr. locis allegatis, affirmantes dispositionem ad seruum extendi debere, eo quod sit eadem ratio. Etenim cum dotis constitutio sit propria hominis liberi, eo ipso quod Dominus suæ ancillæ, vel seruo præstat censuræ liberam facere. Quod vero in dicta lege de sola ancilla fiat mentio, est gratia frequentioris vsus; frequentius enim dotale instrumentum fecimus conficitur non vitis. Ex eo autem quod aliter præsentat Domino ancillæ dotalia instrumenta conficitur, nullatenus censenda est ancilla manumissa; quia Textus solum de domicilium conficiente instrumentum dotalia loquitur. Non igitur ad permissionem extendi debet, vt rectè aduertunt Sanch. & Gutierr. loc. cit.

Gravis tamen est questio, An illis in euentibus, in quibus seruus libertatem consequitur matrimonio contracto, matrimonium validum sit? Et procedit difficultas de matrimonio contracto serui cum libero seruitutis ignaro. Quia in re Glossa in cap. sine de coniugio seruorum, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disput. 20. num. 14. affirmatiuam partem tuerentur. Tum quia expressè approbatur in Authenti. de nuptiis, collat. 4. ibi: Non erit iustum tale non constare matrimonium. Tum quia in iure Canonico sola coniugia serui cum libero seruitutis ignaro irritantur, at præsens coniugium dici non potest esse serui cum libero, cum eo facto desinat esse seruus, & liber fiat: tum denique quia prædicta seruitus bonis

mari

matrimonij non obest, quæ est ratio ob quam matrimonium liberi cum seruo irritatur.

Cæterum in præmissa specie inualidum esse matrimonium maximè in Hispania verius censeo cum Couarruo. 4. decret. 2. p. 7. num. 1. Gregor. Lopez leg. 1. tit. 5. p. 4. Gutier. c. 91. m. 16. eo quòd expresse in dicta leg. 1. sic declaratum sit ibi. [Ema-guer que dice de suso que el seruo se torna libre, por que ve o sabe su señor que se casó, lo encubre, con todo esto no vale el casamiento, por que ella no lo sabía que era seruo quando caso con él; fueras ende si después lo consintiese por palabra o por fecho, &c.] Ratio autem ea est, quia Ius Canonicum absolute matrimonium serui cum libero seruitutis ignaro irritum fecit ob defectum voluntarij, quem liber habere censetur. At huiusmodi matrimonium verè contractum est à libero cum seruo, quia seruus ut libertatem consequatur debet prius contrahere. Ergo contractus stante seruitute formaliter si; siquidem præcedere debet libertatis consecutionem. Et confirmo, nullus est Textus Canonici iuris, quo hoc matrimonium validum esse declaratur, ut ex præcedenti constare potest. Deficiente autem Iure canonico recurrendum est ad Ius Ciuile commune iuxta c. 1. & 2. de noui operis nuntiat. At in Hispania ius commune ciuile est ius regium non autem ius ciuile Romanorum, illud que in decisionibus casuum seruandum est, vti probat Didac. Perez in 3. q. proemiali in ordin. regal. vers. his tamen non obstantibus.

Neque fundamenta contraria vrgent. Ad primum ex Authent. de nuptiis respondeo ad summum probare vbi ius commune Romanorum obseruatur matrimonium validum esse, secus vbi illius leges vim obligandi non habent. Secundo respondeo eius decisionem aduersus ius Canonicum nullam vim habere posse maximè in nullitate, vel valore Sacramenti matrimonij declarando, cum hæc causa sit spiritualis. Ius autem Canonicum (ut probatur est) comprehendit sub decisione sua generali irritante matrimonium serui cum libero hunc casum. Ergo iuri ciuili non est datum contrarium definire. Tertio nego in illa Authent. decisum esse matrimonium valere, sed iustum esse ut valeat, subintelligitur, si ipsi postmodum consenserint, ut explicat lex regia relata, & indicant illa verba tacitam libertatem sequi; prius enim seruus libertatem consequitur, & eâ obrenâ iustum est matrimonium constare, cum nullum iam subit impedimentum. Ad secundum nego prædictum coniugium non esse serui cum libero, est vti que tamen libertatem consequatur statim. Ad tertium, admitto prædictum coniugium bonis matrimonij non obstat, nego tamen inde inferri validum esse. Non enim coniugia serui cum libero seruitutis ignaro irritantur ex eo quòd bonis matrimonij aequaliter obstant, aliâ irritari deberent, esto liber consensu esset seruitutis, sed irritatur ob deceptionem libero factam, & inuoluntarium illius consensum; hæc autem deceptio, & inuoluntarius consensus in præfenti casu adest, siquidem contrahit cum seruo, quem liberum esse credit, neque præfenti potest contradicere, si veritatem agnosceret. Quod si obiciat hinc inferri libertatem non esse concessam in matrimonij fauorem; siquidem matrimonium non subsistit? Negandum est quia ad illum effectum sufficit quod matrimonium abque vilo impedimento conditionis seruilis statim subsistere possit, si coniuges velint. Adde non solum in fauorem matrimonij, sed in pœnam delicti à Domino serui commissi hæc libertas conceditur.

§. IV.

An filij conditionem patris, vel matris sequantur?

- 1 Quoad statum libertatis, vel seruitutis non patris, sed matris conditionem sequuntur.
- 2 Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit.
- 3 Debet tamen mater, ut filius hanc seruitutem induat tempore conceptionis, pragnationis, & partus seruituti esse obnoxia.
- 4 Quoad nobilitatem, aliisque honores filius non solum legitimus, sed naturalis patrem sequitur.

Quoad statum libertatis, vel seruitutis certum est filios non patris conditionem, sed matris sequi. ita ut si mater libera sit, liberi sint filij, tamen si eorum pater seruus existat. Econtrâ verò si mater seruituti subiecta est filij inde nati serui efficiuntur, esto pater libertatem habeat, sicuti decidit in §. penult. instit. de iure personarum. §. sed & si quis, instit. de ingenuis Leg. partum. Cod. de rei vindicat. Cap. fin. de seruis non ordinand. Rationem tradit D. Thom. communiter receptus in 4. 19. q. unica art. 4. in corp. eo quòd seruitus qualitas sit potius corpus quam animam afficiens, at corpus potius à matre quam à patre procedit, cum in eius utero formetur, coaugmentetur, & coalescat. Si tamen alicubi contrarium consuetudine intro-

ductum sit, illi standum est. Quippe seruitus iuris est humani, ac proinde ex iure humano, quod constituit consuetudo variari potest, ut aperte colligitur ex cap. licet de coniugio seruorum. Et tradit Molin. tract. 2. disp. 3. ad finem. Sanch. plures referens lib. 7. disp. 2. 4. num. 9. Gutier. c. 93. m. 8.

Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit, eo ipso seruus ipsius efficitur, ut probat lex secunda. Cod. si mancipium ita fuerit alienatum, iuncta Glossa ibi, verbo filium, & notat Sanch. dicta disp. 2. 4. num. 6. Gutier. c. 93. num. 6. Item procedit, siue filij ex legitimo matrimonio nascantur, siue non, quia Textus relati nullam in hac parte exceptionem faciunt, vti constat ex leg. & seruorum, vers. ingenui sum. ff. de statu hominum. Et tradit Sanch. supra, num. 8. Gutier. num. 7.

Ut autem filius prædictam conditionem maternæ seruitutis induat, opus est, ut tempore conceptionis, pragnationis, & partus mater seruituti subiecta sit. Nam si aliquo ex his temporibus libera extiterit, etiam si obnoxia seruituti fuerit, filius liber est censendus, ut constat ex §. sed & si quis, instit. de ingenuis; & manumiss. Et tradit Gloss. in c. fin. verbo deteriorer. 1. 9. 4. Mol. na dicta disp. 3. ad finem. Sanch. à num. 10. Gutier. num. 9.

Verum si de nobilitate, aliisque honoribus loquamur, filius legitimus patris conditionem sequitur, ut expresse decidit in leg. cum legitime, ff. de statu hominum, & leg. regia 3. tit. 2. l. 1. p. 2. leg. 1. tit. 11. p. 7. Quinimò eandem conditionem sequitur filius naturalis, tamen si ex concubina domi non recenta natus sit vti nostro iure regio decisum est in dicta l. 1. tit. 11. p. 7. Neque his obest Textus in leg. regia 3. tit. 1. §. 4. excludens filium naturalem à patris, & aui honoribus, quia ut rectè tradit Azuero leg. 10. n. 5. tit. 8. lib. 5. nouis collect. Rojas de iustissimis, ab intestato. cap. 1. Gutier. cap. 93. num. 2. & alij, hæc lex regia 3. loquitur de filiis naturalibus non quibuscunque, sed ex damnato coitu natis: Si ergo nec patri succedunt, neque eius nobilitatem, & honorem participant. Secus verò qui propriè naturales sunt, qui ex testamento integrè succedere patri possunt, ut habetur l. 11. tit. 1. §. 6. & l. 10. Tauri, & ab intestato succedunt in duabus vncis iuxta leg. 8. tit. 1. §. 1. part. 6. & consequenter parentis nobilitatem, & honores participare possunt.

PUNCTVM VI.

Qualiter votum, & Ordo matrimonium dirimant?

- 1 Votum simplex castitatis non est impedimentum dirimens, nisi fuerit emissum in Societate Iesu post biennium.
- 2 Votum solemne emissum in professione Religionis, & susceptione Ordinis impedimentum est dirimens.
- 3 Graues Doctores censent votum emissum in Religione iure natura matrimonium dirimere.
- 4 Vera sententia est non iure natura, sed solo iure Ecclesiastico.
- 5 Ordo impedimentum præstat iure Ecclesiastico matrimonio contrahendo.
- 6 Qualiter autem Ordo obliget, & an susceptus ex metu, vel ante pubertatem matrimonium impediat remissus respondetur.

Constat apud omnes votum simplex castitatis non esse impedimentum dirimens matrimonio contrahendo, vti definitum est in cap. consilium. Cap. rursus. Qui clericus, vel coenobitus. Cap. unico de voto in 6. Ab hac doctrina excipitur votum castitatis, simul cum aliis duobus paupertatis, & obedientiæ emissum in Societate Iesu post biennium, quod est simplex sit, efficaciam habet dirimendi matrimonium, ut constat ex bulla edita à Gregorio XIII. quæ incipit Ascendite Domino.

Votum autem solemne quale est emissum in Religionis professione, & in susceptione Ordinis sacri impedimentum dirimens est matrimonio contrahendi, ut constat ex cap. memorimus, & ex d. cap. Rursus. & cap. fin. Qui clericus, vel coenobitus, & ex dicto cap. unico, de voto in 6. & ex Conc. Trinitate, sess. 24. can. 9. Neque de hac doctrina est inter Catholicos vlla controuersia.

Solum dubitant quo iure votum castitatis maximè in Religionis professione emissum præstat impedimentum dirimens matrimonio contrahendo? Graues Doctores, Durand. in 4. d. 28. quæst. 1. in fine corp. Dominic. Sotus lib. 7. de instit. quæst. 1. art. 5. vers. sed interrogas? Petr. de Soto lect. 5. de matrimon. sub finem. Couarruo. 2. part. de sponsal. capite 7. §. 4. & alij censent iure natura matrimonium dirimere, eo quòd voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ venum Religiosis continentibus tradatur Religiosis Religioni obsequenda. At res vni tradita æquè alteri tradi, ergo nequit Religiosus se coniugi tradere matrimonium contrahendo.